



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi, Et In Connimbricensi Academia
Sacrarum Litterarum primarii Professoris Opvs, De Virtvte
Et Statv Religionis**

Qvo Quid Contineatvr, Index proximus indicabit

De Obligationibus Religiosorum ex Regula, Prælatione & subiectione
regulari prouenientibus, De varietate Religionum tam in genere, quàm in
specie, De Religione Societatis Iesv in particulari

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, 1626

IX. De voto audiendi consilia Generalis, si quis professus Societatis in
Episcopum assumptus fuerit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93501](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93501)

XXIII. Ex his ergo facili est responsio ad rationes dubitandi in principio positas. Ad primam enim & principalem rationem respondetur, hoc votum nunquam impedire maius bonum, sed simpliciter loquendo esse de meliori bono. Ad primam autem probationem iam in n. 17. responsum est, licet regulariter non sit expectandum rigorosum præceptum superioris ad obediendum, nihilominus in tali materia propter speciales eius condiciones, & propter peculiare etiam rationes pertinentes ad maius commune bonum, melius esse non acceptare sine præcepto. Ad secundam autem probationem in primis dicitur, difficillimum esse fingere casum, in quo secluso præcepto Pontificis, caritas, ex se non obliget ad acceptandum Episcopatum, & nihilominus sit melius & opus consilij illum acceptare. Cum enim ex solo obiecto hoc non sit consilius, maxime comparatione facta ad statum religiosum, ut in superioribus probatum est, & sumitur ex cap. per tuam, de voto, oportet ut ob aliquam grauem Ecclesiæ necessitatem illud iudicetur melius. Hanc verò necessitatem, seu gradum eius, ita definire, seu distinguere, ut sufficiat ad efficiendum opus consilij, quod tale non erat: & non ad obligandum ex charitate, valde difficile apparet in præsentia materia, in qua, non acceptando Episcopatum, consilium, non proprio commodo temporalis, aut corporalis, sed spirituali, acceptando vero, timeri potest, & proprium periculum spirituale, & deceptio in iudicio, propter naturalem affectum honoris & excellentiæ. Vnde cum alias tota hæc dubitatio auferri possit, si superior præcipiendo interponat auctoritatem suam, nunquam videtur superesse casus in quo sit melius, & consilius acceptare, quam non acceptare, secluso præcepto.

XXIV. Accedit specialiter, quod aliunde etiam intercedit communis ratio totius religionis, ad cuius spirituale commodum maxime necessarium fuit, ut circa hoc esset aliqua lex definita, iuxta quam liceret Episcopatum acceptare, & non alias, quia alias unusquisque suo arbitrio fingeret necessitatem acceptandi, & facile unusquisque induceretur ad iudicandum id esse melius, & maius Dei obsequium. Ad hoc ergo vitandum incommodum, nulla melior potuit præstigi regula, quam ut expectetur superioris præceptum: nam per hoc, & commodo religionis consilium, & cuiusque necessitati, quæ in Ecclesia esse possit, sufficienter subuenitur, ideoque quandiu Pontifex non interponit præceptum suum, nec certa & euidens est obligatio charitatis, securè potest professus Societatis, iudicare, sibi non esse melius Episcopatum acceptare, non solum quia semper timere potest propriæ salutis periculum, ut alias indicauit D. Thom. 2. 2. q. 185, art. 2. & ibi Soto l. 20. de iustitia, quæst. 2. art. 2. Sed etiam, quia ad maius bonum Societatis ita expedit: quod etiam est bonum commune, cui secundum ordinem charitatis magis tenetur prospicere membrum Societatis, quam commodis externorum fidelium, quorum cura magis pertinet ad Prælatos Ecclesiæ. Eo vel maxime, quod professi Societatis, in suo statu permanentes possunt Episcopos inuare, & hoc modo satis subuenire necessitati fidelium, vel cuiusque utilitati, licet Episcopi non sint; ideo nunquam coguntur iudicare esse maius Dei obsequium, Episcopatum acceptare, si præcepto non obligentur.

XXV. Ob hanc ergo causam, merito votum illud in prædicta forma emittunt, & post factum illud votum, iam non solum licet possunt, sed etiam tenentur iudicare esse maius Dei obsequium non acceptare Episcopatum, quandiu non præcipitur. Quod si in particulari occurrat casus, in quo res videatur dubia, supposito voto tollitur omne dubium, quia votum est certum, & in dubio ius illius præfertur. Imò

Franc. Suar. de statu relig. Tom. I. V.

etiam talis videatur esse casus in particulari, in quo secluso voto videretur clarum, & certum esse melius acceptare Episcopatum, factum iam voto, acceptandum non est, sine præcepto; tum quia votum generaliter factum est: tum etiam, quia nulla est necessitas aliter faciendi, cum facile sit Pontifici præceptum ponere, si omnino vult, ut acceptetur. Exemplum est in Patriarchatu Æthiopie, aut Episcopatu Iaponensi, in quibus multum est oneris, & laboris, parumque honoris, & nihil ferè temporalis commodi, propter quod videri poterat bonum, & optimum opus esse illud acceptare, iuxta verba Pauli 1. ad Thimotheum 3. sic intellecta à Gregorio 1. p. Pastoralis cap. 8. & nihilominus etiam hi Episcopatus acceptandi non sunt à professo Societatis sine præcepto, ut aperte supponitur 10. p. constit. lit. A. ibi, Nec tamen in Patriarchatu & episcopatibus Æthiopie admittendis resisti potuerit. Ergo etiam in illis, quantum est ex parte Societatis, resistendum est.

Ad confirmationem ex c. 1. d. 85. respondetur, XXVI. forte Archidiaconum illum absolutum iuramentum, sine vlla exceptione accepisse, & ideo temerè iurasse, vel cerè, quanuis ille non peccasset iurando, D. Gregorius voluisse quod iuratum fuerat obseruare, quia nulla forte erat necessitas cogendi per præceptum Archidiaconum illum ad accipiendum Episcopatum; non cogente autem alia necessitate melius, & consilius erat iuramentum seruari. Quocirca sententia Glossæ ibi citata, asserentis esse peccatum mortale non acceptare Episcopatum, si is cui offertur, se dignum credit: non est vera, nisi quando sub præcepto imponitur, vel tam euidens est necessitas, ut charitas ipsa obliget. Et ita sunt intelligendi Gregorius, & Augustinus ibi citati, præsertim quod Augustinus in priori loco contra Faustum solum loquitur de ministerio euangelizandi: in alio verò loco de ciuit. requirit ut cura, & negotium proximorum ex necessitate imponatur. Gregorius autem tum ibi, tum alijs locis sentit, neminem debere reputare se dignum, nisi ex iudicio, & præcepto superioris; ut videri licet lib. 1. epistol. c. 10. & l. 3. c. 10. & l. 10. epistol. 5. & idem sentiunt D. Thom. & alij auctores supra citati.

XXVII. Ex quo etiam patet responsio ad ultimam confirmationem; iam enim declaratum est, quomodo ex hoc voto non impediatur commune bonum Ecclesiæ, quia vniuersalis eius pastor, semper retinet ius suum præcipiendi, quod ad illud commune bonum expedire iudicauerit; & alioqui etiam per hoc votum procuratur spirituale bonum, non solum particularis personæ vouentis, sed etiam totius religionis: quod in maius totius Ecclesiæ bonum redundat. Alia, quæ circa hoc votum desiderari possunt, tractabuntur commodius circa finem capituli sequentis.

CAPVT IX.

De voto alio, quod professi Societatis emittunt, audiendi consilia Generalis, si in Episcopos eligantur.

Quia non obstante voto superius explicato, contingere potest, ut professus Societatis cogatur Episcopatum suscipere, pro huiusmodi euentu curam habuit B. P. Ignatius adhibendi aliquod remedium, quo, & salutis professi sic electi, & maiori vniioni eius, cum Societate, maioriq; proximorum edificationi, cõsuleret. Et ob hanc rem statuit, ut qui professionem in Societate emittunt, votum aliud sub hac forma addant. Promitto, si quando acciderit, ut hac ratione in Presidem alicuius Ecclesiæ promouear, pro cura, quam de anima mea salute, ac recta muneris mihi impositi administratione gerere debeo, me eo loco, ac numero habiturum Prepositum Societatis Generalem, ut nunquam consi-

Bbb 3

Inm

lum audire detractum, quod vel ipse per se, vel quilibet alius de Societate, quem ad id ipse substituerit, dare mihi dignabitur. Consilij vero huiusmodi ita me paritum semper esse promitto, si ea meliora esse, quam qua mihi in mentem venerint, iudicabo.

II.
Puncta tria
circa idem
votum, ac
primum de
intelligentia
eius.

Ad explicandum igitur huius voti sensum, tum vtilitatem, tum tertio obligationem, in primis supponendum est, religiosum professum ad Episcopatum assumptum, eo ipso manere exemptum à propria obedientia suæ religionis. Nam licet solenne obedientie votum non tollatur, nec irriteretur, aut propriè dispensetur: eius enim obligatio manet solum in ordine ad summum Pontificem; eximitur nihilominus talis persona à subiectione omnium Prælatorum talis religionis: iuxta doctrinam D. Thomæ 2. 2. q. 185. & 186. retrobique art. 3. ad 3. communiter receptam, & in tract. 8. lib. 3. explicatam, & sumitur ex cap. vnicò 17. q. 1. vbi dicitur, monachum factum Episcopum à iugo regulæ monasticæ absolui, & consequenter ab obedientia Prælatorum suæ religionis. Et sanè meritò, quia constitutus est in altiori gradu, iuxta cap. nisi cum pridem, de renuntiatione. Hinc ergo fit, ut professus etiam Societatis factus Episcopus, non teneatur parere consilij Generalis Præpositi Societatis, & ideo votum non in hoc sensu fit, ut ex vi illius teneatur talis Episcopus obedire consilij Societatis, quod in 10. p. constit. §. 6. explicatur his verbis. Non quod habeat, qui Prælati est, aliquem de Societate superioris loco. Et in ipsa forma vouendi satis declaratur.

III.
An episcopus
teneatur que
ad obedientiam
præter
quam Papa.
Quid lo
quendo ex
natura rei.

Fortasse autem aliquis obiter inquireret an in hoc sensu potuerit tale votum fieri, aut ordinari? Respondeo breuiter, ex sola rei natura, non videri per se, & intrinsecè malum: nam ille, qui ratione iurisdictionis superior est, potest quoad proprias actiones, voluntariè se subdendum se obligare Deo, saltem per votum, etiam si non intercedat promissio humana; quanvis hæc etiam non videatur repugnare. Nec videtur deesse in tali voto, seu materia eius, ratio melioris boni, saltem in ordine ad spirituale bonum vouentis: quia ibi exercetur religio, & humilitas, & obedientia, sine alicuius incommodo, vel iniuria. Nihilominus tamen iure Ecclesiastico non videtur hoc licitum, sine licentia Papæ, cui soli reliqui inferiores Episcopi immediatè subijciuntur: pertinetque hoc ad dignitatem Episcopalem, & ideo non possunt particulares personæ in hoc cedere iuri suo, nec voluntariè promittere, aut retinere obedientiæ obligationem ad alium inferiorem hominem, à qua ipso iure, seu facto, ex vi talis status, & in honorem suæ dignitatis absoluuntur. Atque hoc maxime procedit de obedientia in his actionibus, quæ pertinent ad regimen animarum: nam illarum cura ipsi Episcopo, & non alteri extraneo demandata est: & ideo non potest ipse ita se constituere sub alterius voluntate, quoad ea, quæ ad hoc regimen spectant, ut ab illa omnino pendeant: quia hoc esset quodammodo immutare ordinem, & regimen à Pontifice præstitutum. Et ob hanc causam prudenter B. P. Ignatius, non solum nolit per hoc votum obligari professum Societatis factum Episcopum ad obediendum Præposito Societatis, tanquam superiori: verum etiam neque ad sequendum iudicium, seu consilium eius: quia hæc esset virtualis quædam obedientia, per quam Episcopale regimen ad Præpositum Societatis reduceretur, eique quodammodo subderetur: sed solum voluit, ut tunc teneretur tale consilium sequi, quando iudicaret esse melius.

IV.
2. Punctum
de vtilitate
huius voti.

Hinc verò nascitur difficultas circa secundum, quod propositum est, scilicet, quanam sit vtilitas huius voti: videtur enim esse nulla: quia si quis nolit consilium Præpositi sequi, vel non sit affectus ad

eam rem, quam ille consulit, facile sibi persuadebit, illud consilium non esse optimum, & regulariter loquendo semper inueniet, qui contrarium consulat: paræ ergo, aut nullius vtilitatis, videtur esse hoc votum, & aliunde potest esse occasio dubiorum, & scrupulorum in his, qui fuerint timorata conscientia: in alijs verò potest esse occasio dissensionum, & odiorum. Nihilominus duas magnas vtilitates in hoc voto inuenit B. Ignatius, quas his verbis explicauit. Quod sponte in Dei conspectu vult ad id faciendum obligari, quod ad diuinum obsequium melius esse mediteretur: quodque placeat esse aliquem, qui sibi cum charitate, ac libertate Christiana, ad gloriam Dei, & Domini nostri proponat, 10. p. constit. §. 6.

Ut autem à posteriori parte incipiamus, per se factis notum est, quantum indigeant hi, qui præsum aliorum consilij, & rectis admonitionibus etiam Aristoteles script. 3. Pol. c. 3. prudentiam videri esse eorum propriam, qui imperium obtinent, quia illis & maxime necessaria est, & ferè ad rectè gubernandum sufficit, quia dixit Xenophon in Cyropædia l. 1. HominiBUS imperare difficile non est, si qui prudenter agat: prudentibus enim vltro paretur. Vnde S. Chrysostomus serm. 15. in epistolam ad Ephesios, Nihil ad rerum (inquit) administrationem ita necessarium est, atque prudentia. Rectum autem, ac sanum prudentiæ iudicium maxime pendet ex sapienti consilio: nullus est enim hominum, qui sibi sufficiat, & præsertim in tanta rerum varietate, ac difficultate, quanta in publica administratione occurrit. Quod exemplo Moysis accipientis consilium faceri sui ostendit Deus Exod. 18. vt notauit Philo lib. de creatione Principis ante medium, dicens, Relatum est hoc in sacra volumina, vt haberent, quod imitarentur posterorum Principes, ne aspernentur consiliarios, quasi possint ipsi displicere omnia, cum ne Moyses quidem aspernatus sit.

Quod si hoc verum est in quocunque regimine, multo magis in animarum gubernatione: quam esse artem artium, dixit Innocentius III. in cap. cum per de reate, & qualitate. Et ideo Chrysost. lib. 3. de sacerdotio, dixit, Et si quis magnam perpetua viam religionem, pietatèque profugerit, ne hunc quidem eligere statim audeam (scilicet ad Episcopatum) nisi magnam etiam animi prudentiam, religionem huiusmodi continentiam habeat. Magna pars autem huius prudentiæ est, aliorum vti consilij. Nam, vt rectè dixit Bernard. epist. 55. cuncti sapientes solent in rebus dubiis plus alieno, quam proprio iudicio credere, & qui aliorum facile ambigua, quæque eludant, in suis consueuerunt scrupulis hesitare. Vnde epist. 28. ad Ardutionem promotum Episcopum, Paulum (inquit) imitari curato, in honorificando ministerium tuum, honorificabis autem grauitate morum, maturitate consiliorum, actuum honestate: hæc sunt, quæ officium Episcopale maxime nobilitant, & ornant. Omnia fac cum consilio, non tamen omnium, nec quorumcumque, sed tantum bonorum. Et ideo Clemens Papa epist. 3. & refertur de 38. cap. vlt. Episcopum monet, vt nec propter senectutem, nec propter generis nobilitatem, omittat accipere vtilia, & salutaria consilia, præsertim à paruulis, & minus eruditis. Quod secuta est etiam ad obseruasse testatur Augustinus epist. 75. ad Auxiliolum, dicens, Si tibi, quam iuste fuit Dominus reuelauit, nequaquam iuuenilem artem tuam, & honoris Ecclesiæ rudimenta contemno. En adsum senex à iuueni amicaliter parat, & Episcopus tot annorum à Collega nondum amicaliter paratus sum discere. Gregorius autem lib. 11. epistola 29. & habetur 84. d. inter alia grauius reprehendit Episcopum, quod consilia sapientum, & recta suadentium, nulla pateretur ratione suscipere. Radentium autem tetigit Aristoteles 3. politic. cap. 12. quia facilius est multis videre oculis, quam duobus tantum. Accedit quod non solum consilia rerum agendarum, sed etiam, quæ per modum admonitionum, de præteritis factis dantur, necessaria sunt his,

his, qui gubernant, raro autem inveniuntur, vel Principes, qui admoneri patiantur, vel fideles amici, qui veritatem, omnia adulatione, sincere consulant. Hæc est ergo prima utilitas huius voti, per quod proponit, qui illud emittit, tam consilium, quam admonitionem admittere de rebus sibi maxime necessarijs, & à persona, de qua moraliter certum est, cum charitate, & prudentia hoc officium esse obiturum.

VII. Altera verò utilitas est, quia non solum obligatur talis persona, ex vi huius voti ad non detrectandum audire huiusmodi consilium, sed etiam ad exequendum illud, si melius, & gratus Deo esse iudicauerit. Quæ conditio prudenter, vt dixi, addita est, quia non debuit Episcopus, qui iam non est Prælati Societatis subditus, vel iudicium suum iudicio Præpositi submittere, vel agere contra iudiciū suum, si aliud melius esse iudicauerit, quam quod Præpositus consiluit. Neque ob eam rem est parui momenti votum illud, quia non ordinatur ad illuminandum intellectum (vt sic dicam) sed ad firmādam voluntatem circa id, quod melius est, satisque magna obligatio est, qua homo adstringitur ad faciendum id, quod ad diuinum obsequium melius esse intellexerit. Nec refert, quod iudicium facile flectatur in aliam partem, si voluntas in eam propensa sit, tum quia sæpe res adeo est clara, & manifesta, vt intellectus non possit tergiversari, vt si consilium detur de scandalo vitando, de cura, & vigilantia erga suum munus, & rebus similibus: tum etiam, quia ad hoc ipsum hoc votū deseruiet, vt quis timeat infideliter procedere, & proprio affectu excecari. Cumq; hoc officium charitatis sit, & inter personas, quæ, & religione, & doctrinā, perspicue fore credende sunt, non est cur magna perturbatio, vel conscientia, vel animi ex eo timenda sit. Nam licet ex parte admonentis libertas necessaria sit, verbis placidis temperanda erit: & licet consulenda sint, quæ profitentur, ita tamen vt delectent suadenda sunt.

VIII. Tandem ex his explicatur facili, quod tertio loco est propositum in numero secundo de obligatione huius voti. Nam in genere ad duo obligat. Primum est, non detrectare audire consilium, quod vel Præpositus Societatis per se, vel alius ab ipso substitutus dare dignabitur. Dicitur autem detrectare, quando, vel omnino nolit tale consilium audire, vel certe quando tam acerbè illud tulerit, vt sibi multum displicere significet: nam hæc est non solum virtualis, & indirecta, sed moraliter loquendo, satis etiam expressa detrectatio. Vt autem votum ad hoc obliget, necesse est, consilium esse de materia accommodata tali voto. Non enim promittit professus Societatis, si ad eum statum peruenerit audire consilium Præpositi in rebus v. g. temporalibus, secundum se spectatis, vt sunt, v. g. quæ pertinent, vel ad res familiares, vel ad temporalium bonorum administrationem, vel etiam ad studia literarum, sed in his tantum, quæ pertinent vel ad propriæ animæ salutem, vel ad debitam Episcopalis muneris administrationem. Hæc enim duo in ipsamet formula vouendi explicantur, & in persona Episcopi ita sunt coniuncta, vt inter se separari non possint: nam integritas præsentium salus est subditorum, vt dixit Leo Papa epist. 85. cap. 61. Et illa etiam duo ad diuinum obsequium, quod per hoc votum intenditur, sufficiunt; reliqua enim omnia indifferentia sunt, nisi ad prædictos duos fines ordinentur, sub qua ratione, ad materiam huius Voti pertinere poterunt.

IX. Similiter (quod ad alteram partem attinet) non promittit professus absolute facere in omnib; quod melius est, sed in parendo huiusmodi consilijs, ita vt licet per se, nihilque à Societate admonitus, iudicet aliquid esse melius ad diuinum obsequium, non statim teneatur ex obligatione voti, illud facere, esset enim onerosa valde, & periculis exposita obligatio: nec verba ipsius voti adeo generalia sunt, sed ad prædicta consilia limitata, quæ etiam sic moderata, non est parua obligatio, & ideo in huiusmodi consilijs præstandis, & non multiplicandis magna prudentia & consideratio necessaria est; raro enim fieri debet, nisi in his rebus, quæ ad diuinum obsequium, vel magnum animarum fructum videbuntur necessaria.

X. Quæri verò potest obiter, an sicut professus factus Episcopus, teneatur audire consilia Societatis: ita etiam teneatur Societas illum admonere, & hanc veluti curam animæ, & muneris illius suscipere. Respondeo non teneri speciali aliqua obligatione, præter eam, quæ pertinet ad legem charitatis, quæ maiori quadam ratione, seu potiori ordine obligare potest circa talem personam, vt potest magis Societati coniunctam. Quod autem nulla obligatio alterius rationis intercedat, probatur, quia non conuenit Præposito Generali ratione sui officij, quia iam talis persona non est illi subdita: nec ratione alicuius voti, quia nullum emittit, & in forma vouendi supra posita in num. 1. solum professus promittit audire Præpositum, &c. de obligatione autem Præpositi nihil dicitur. Neq; etiam teneatur ratione alicuius constitutionis Societatis, quia id. part. constituit. §. 6. (vbi solum de hac re tractatur) nulla obligatio ei imponitur. Imò in declaratione lit. A. expressè dicitur, Non tamen obligatur Societas ad hoc munus suscipiendum quandoque alicui ex ea Episcopatus esset admittendus; imò libera manet, vt id oneris & relinquere, & assumere possit, vbi multum referre ad Dei obsequium iudicaret. Fuit autem hæc declaratio facta occasione Patriarchatus Æthiopiæ, in quo casu, & similibus multum referebat scire gradum huius obligationis ex parte Societatis: quia hæc admonitio fieri debet, vel per ipsummet Præpositum Generalem, vel per alium de Societate ab ipso designatum: nam licet in prædicto loco constitutionū solum dicatur, consiliū esse debere Præpositi Generalis, vel alicui, quæ ille sibi ad hoc substituerit; tamen in ipsa forma vouendi, quam retulimus, quæ ex prima, & tertia congregatione generali sumpta est, expresse declaratur, hunc substitutum debere esse de Societate. Vnde in Episcopatu Æthiopiæ, vel aliarū prouinciarum multum distans, cum hæc admonitio non possit immediate per Generalem fieri, oportet aliquem de Societate cū Episcopo mittere, vt hoc munus loco Generalis præstaret, quod esset Præposito, & Societati graue onus, si ad hoc ex speciali obligatione teneatur & ideo prudenter animaduersum est, nullam esse in Societate de hac re obligationem.

XI. Duo verò alia supersunt dubia circa hoc, & præcedens caput. Primum est, an obligatio horum votorum se extendat ad Summum Pontificatum; ita vt professus Societatis contra hoc votum agat, illum ambiendo, nec possit eum acceptare, nisi per præceptum cogatur, & euectus ad illud munus, adhuc teneatur consilia Præpositi audire, & exequi, si meliora iudicet. Et ratio dubitandi esse potest, quia forma vouendi absoluta est; de quacunque præstatione extra Societatem. Duobus autem modis potest hic casus contingere. Vnus est, iuxta ordinariam consuetudinem Ecclesiæ, si aliquis de Societate prius Cardinalis, postea eligatur ad Pontificatum. Alius erit extraordinarius, vt si religiosus Societatis nullam extra illam habens dignitatem immediate (sicut olim fiebat) in Pontificem eligatur.

XII. In prior casu supponitur illa quæstio non præmittenda, an scilicet professus Societatis semel iam factus Episcopus, vel Cardinalis, ad hoc obligetur

X.
Dubium 1.
An etiam d
tra teneat
ur Societas
Episcopum
suum mon
ere.

XI.
Dubium 2.
An idem vo
tum intelli
gatur etiam
de Papatu.

XII.
Quæstio.
Præstand

dubium iuxta
priori casu.

getur superioribus votis ad non procurandam aliam maiorem dignitatem, vel prælationem, vel non acceptandam illam, nisi præcipiatur. Ad quam respondendum videtur affirmatiue. Primum, quia religiosus factus Episcopus, tenetur ad obligationem religiosi status, quæ Episcopali non repugnet, ut in tomo superiori visum est; sed est peculiaris obligatio religiosi professi Societatis non procurare dignitates, & non repugnat seruari in illo statu Cardinalis: ergo. Secundum, quia hoc votum absolute fit, & est natura sua perpetuum, ut indicant illa verba formæ: *nunquam me curaturum, præsensurum, aut consensurum, &c.* & non extinguitur per superiorem dignitatem, quia neque ex natura rei hoc sequitur, neque iure aliquo est cautum: ergo durat obligatio eius.

XIII.

Nihilominus dicendum est, hanc obligationem cessasse per subtractionem materiæ, qua materia huius voti non est ambitio vel procuratio dignitatis absolute sumpta, sed respectiue, id est, respectu eius, qui adhuc permanet in puro statu religiosi Societatis, ita ut sensus huius voti sit, non procurandi, vel acceptandi transitum à religione ad talem dignitatem: semel autem facto transitu, euacuata est materia voti, quia omnis alius transitus iam non est eiusdem rationis. Vel potest aliter explicari (& in idem redit) ex voto virginitatis supra tract. 6. lib. 5. de voto c. 6. n. 14. explicato, diximus enim quod si tantum fiat, de non violando claustrum virginitatis, obligationem terminari ad primam vicem, ideoque semel amissa virginitate, tale votum non obligare, tale enim videtur esse in presenti hoc votum, de non mutando (ut sic dicam) tali modo statum religiosum: & ideo obligatio eius ad primam vicem terminari videtur. Quod si ita est, facta semel mutatione, cessabit talis voti obligatio. Quod autem ita sit, suadent in primis verba illa constitutionis, *Promittant ad nullam extra Societatem prælationem, vel dignitatem obtinendam, se quidquam acturos, neque ad sui electionem, &c.* nam hæc verba in rigore indicant primam promotionem; nam postea, iuxta modum loquendi iuris, potius dicitur translatio, quam electio, maxime inter Episcopatus, extra Summum Pontificatum, sed hoc euidentius declarant verba sequentia: *sed unusquisque videat, qua ratione animarum salutis, iuxta nostram professionis humilitatem, & submissionem inferre possit.* Hæc enim verba declarant, hanc obligationem solum respicere illos, qui in sua humili professione adhuc perseverant. Quod tandem confirmat ratio, quæ subiungitur, *Ne Societas his hominibus, qui ad propositum sibi finem sunt ei necessarij, priuatur:* postquam ergo iam aliquo priuata est, nihil quoad hanc partem de illius obligatione curat. Et quauis ad hæc omnia responderi possit, hunc fuisse finem, vel rationem motiuam illius voti, materiam autem vniuersaliorem esse, quia sic indicant verba, quæ absolute, & perpetuo videntur obligare personam, ideoque priorem partem esse retinendam, tanquam tutiorem, & virtuti, ac religioni magis fauentem: nihilominus in rigore iuris, posterior hæc sententia vera videtur, & satis persuaderi his, quæ diximus. Nam reuera intentio instituti fuit, continere suos professos intra se, & in suo statu; de his vero, qui iam sunt extra, licet aliquando intra fuerint, non ita curat. Neque est tanta curandi necessitas. Denique licet prior sententia videatur quodammodo securior, hæc est benignior, & ideo in materia onerosa, & ad minimum speculatiue incerta, satis securi, & aliunde securior, quia pauciora vincula imponit, & euitat pericula, quæ faciliora sunt in eo qui iam ad dignitatem conscendit.

XIV.

Reponitur
iam dubium
postea in

Ex hac ergo resolutione, ad priorem questionem in numero 11. responderetur in dicto casu Episcopum, vel Cardinalem Societatis, non peccare contra hæc vota, procurando aliam maiorem dignitatem, vel

acceptando illam absque obligatione præcepti: quia illa non est materia horum votorum, ut num. 13. declaratum est. Et ita constat, Summum Pontificatum, prout ordinariè fit electio ad illum, non pertinere ad materiam illius voti, quia semper supponitur persona in eo statu, in quo iam non obligatur per tale votum. Vnde obiter à fortiori colligo professum semel factum Episcopum non teneri ex vi huius voti renunciare vnquam Episcopatu, vel ad hoc petere facultatem, etiam si moraliter certus sit, fore concedendam; tum quia mutato statu cessat obligatio huius voti, ut dixi, tum etiam, quia ille non vult non perseverare in Episcopatu spontaneè, absque vi præcepti, sed solum non acceptare illum sine præcepto. Quocirca, non solum si intelligat esse melius, verum etiam si moraliter sibi persuadeat esse necessarium ad suam salutem dimittere talem dignitatem, non peccabit contra hoc votum, id non procurando, sed peccabit contra propriam charitatem. Tandem autem aduerto, in his casibus posse aliquod remedium adhiberi mediante voto in hoc cap. explicato: nam in eis poterit talis prælatus admoneri à præposito Generali, ut aliam dignitatem non ambiet, vel etiam, ut se à periculis eripere procuret, relinquendo quam habet: cui consilio tenebitur ille parere, ex vi huius voti, si ad maius Dei obsequium, maioremque suæ animæ salutem pertinere iudicauerit, iuxta ea quæ diximus num. 8.

Iam vero superest quæstio de alio modo, quid scilicet dicendum sit, si contingat professus ab humili statu religionis immediate ad Pontificatum eligi, vel electione procurare. Tunc enim videtur virgere ratio facta in n. 11. quia persona est capax talis obligationis, & votum absolute fit de omni prælatione, & dignitate. Et quæ pars valde probabilis, ex quadam cõmuni opinione Canonistarum, quod religiosus non potest, sine consensu sui Prælati, acceptare electionem suam, etiam ad Summum Pontificatum. Hæc vero opinio mihi in tomo superiori non placuit: & ideo consequenter ad ea, quæ in illo puncto dixi, probabiliter extendi ad summum Pontificatum; tum quia consilium loquitur de prælatione intra, & extra Societatem: Summus autem Pontificatus, neque intra Societatem dici potest, ut per se constat, neque extra, ut ibi ponderaui, quia est prælatio vniuersalissima supra omnem religionem, & ipsam etiam Societatem. Vnde intentio constitutionis solum videtur dirigi ad prælationes particulares, & condistinctas à tota religione. Item quia si loquamur de sola acceptance, non est verisimile sub generali locutione, comprehendere casum adeo specialem, qualis est electio simplicis religiosi ad Pontificatum. Neque etiam est credibile constitutionem Societatis voluisse limitare modum acceptandi electionem adeo singularem, & ad totius Ecclesiæ bonum pertinentem, & quæ eo tempore fit, in quo Ecclesiæ caret vniuersali pastore, qui huic bono prospiciat, & ideo vix potest moraliter fieri, ut præceptum de illa electione acceptanda imponatur, etiam maxima inest necessitas. Vnde hic habet locum regula iuris 81. in 6. sub locutione generali non comprehendit specialem casum, qui non creditur verisimiliter intentus. Denique hanc fuisse mentem B. Ignatii colligo ex verbis eius ad Summum Pontificem: quæ refert fidelissimus testis Petrus Ribadeneira citatus cap. præced. num. 22. ubi inter alias rationes, quibus Ignatius Pontificem per-suadere nixus est, ad Ecclesiæ bonum peruenire, ne operarij Societatis Episcopi fiant, vna est, quod vniuersales percipiant fructus Dei Ecclesiæ, ex quibus non Episcopi, quam Episcopi. Hoc autem ut probet, subiungit, *Nam qui Episcopus est, est maiorem auctoritatem habet, ac potestatem, certis tamen locorum finibus contentus* & iuxta

est autem tantum omnibus pascendis ad dictum. Quia verba factis declarant, ipsum locum esse de priuatis Episcopis, non de Episcopatu vniuersali. Quocirca licet ambitio eiusdem dignitatis, maiori ratione possit sub hoc voto comprehendendi; tamen quia in vtraque parte talis voti, de eadem dignitate extra Societatem sermo est, idem necessarium est dicendum; nec sine causa, quia moraliter superfluum erat hoc promittere: cum enim (vt in tom. de fide disp. 10. sect. 4. in fine attigi) iure, vel consuetudine ordinaria, talis electio non fiat; nullus etiam est, qui dignitatem illam immediate ambiat, aut procuret. sed mediante Cardinalatu, & ideo huic modo satis prouisum est, impediendo omnem prætensionem, vel spontaneam acceptationem Cardinalatus; de hac enim dignitate certissimum est sub hoc voto contineri, siue sub nomine prælatus, siue dignitatis comprehendatur, siue (quod ego verum puto) sub vtroque.

XVI.

Resoluitur
votum au-
diendi.

Atque hinc facile expeditur alterum dubium, in eodem num. 11. si contingat professum Societatis fieri Papam, an teneatur hoc voto audiendi consilia Præpositi Societatis, & illis parendi si meliora indicauerit. Existimo enim non teneri; quia pontificalis dignitas (vt dixi) non comprehenditur sub his votis: & in hoc casu, quodammodo est res clara: nam alij Prælati, licet non sint subditi Præposito generali, neque etiam sunt caput eius, & propter priorem respectum, & subiectionem, quam habuerunt, decentius possunt à Præposito admoneri, atque ad parendum aliquo modo obligari: Summus autem Pontifex est caput totius Societatis, non solum, vt vniuersalis Episcopus, sed etiam vt supremus Prælatus religionis, & ideo non erat ita decens, aut conueniens, vt sub hac obligatione comprehenderetur. Ad quod etiam ponderari possunt verba ipsius formæ votendi: si in Præsidentem alicuius Ecclesiæ promoueat: Pontifex enim non alicui Ecclesiæ tantum, sed vniuersali Ecclesiæ præsidet: de illo ergo sermo non est. Quin potius occasione illius verbi dubitari potest, an sub hoc voto comprehendatur Cardinalis vt sic, id est, qui non sit Episcopus: nam ille ex vi talis dignitatis nulli Ecclesiæ præest. Nihilominus verius censio comprehendendi; nam illud verbum explicandum est iuxta constitutionem, ex qua forma illa votendi sumpta est: constitutio autem p. 10. §. 6. sic habet, Promittat etiam Deo, quod si quando dicto modo compulsi prælacionem aliquam extra Societatem admittat, &c. Non est autem mihi dubium, quin Cardinalatus in omni proprietate, & rigore sit prælatus extra Societatem: ergo etiam ille sub hac promissione comprehenditur. Vnde vox alia, Præfatus, seu Præfatus alicuius Ecclesiæ, vt æquipollens sumpta est, præsertim quia Cardinalis, licet Episcopus non sit, Titulum habet alicuius Ecclesiæ, in qua iurisdictionem habet Episcopalem, & ideo illi præcedere dicitur.

XVII.

Brutius sen-
sus constituti-
onis non admittere,
nec Generalem posse illam dare, nisi sedis
Apostolicæ obedientia illum compellat. Ibi enim
in primis, non comprehenditur dignitas Summi
Pontificis. Quod patet, tum ex particula illa, extra
Societatem, vt illam in n. 13. ponderauimus, tum quia
ibidem supponitur sedem Apostolicam, id est, Pon-
tificem, posse compellere Generalem ad dandam
licentiam, quæ d repugnaret respectu eiusdem digni-
tatis quia tunc Sedes Apostolica vacaret. Tum de-
nique, quia non decebat prouisionem sedis Aposto-
licæ quoad hoc quodammodo pendere à voluntate
Generalis, vt in simili in n. præcedenti dixi. Deinde
solum habet locum illa constitutio circa accepta-
tionem primæ dignitatis. Nam religiosus Societa-
tis semel translatus ad statum Episcopalem, si trans-

feratur postea ad alium Episcopatum meliorem, vel si prius factus Cardinalis; postea fiat Episcopus, iam non indiget hac facultate Generalis, non solum quia iam non est sub obedientia eius, sed etiam propter alia; quæ in n. 13. & 14. adduximus circa prædicta vota, est enim eadem ratio.

XVIII.

ND ac epistola
abique li-
centia con-
uenit omni
religioso, in-
ter, si tamen
inter nuntios
& alios.

Aduerto præterea hanc obligationem de iure communi conuenire omnibus religiosis respectu suorum prælatorum ratione voti obedientiæ, vt in tom. superiori explicatum est, nonnulla tamen videntur in hoc esse specialia Societatis. Primum quod facultas hæc referatur Generali, quod in alijs religionibus regulariter non fit. Secundum quod Generalis ipse non potest illam dare, nisi coactus obedientia Pontificis. Tertium quod non solum inferiores religiosi, sed etiam ipsemet Generalis si ei concedatur talis dignitas, non potest illam acceptare, sine consensu Societatis, vt habetur 9. p. Constit. cap. 4. §. 5. & c. §. 6. & in declaratione vtriusque loci. Vbi etiam additur, Societatem non debere præstare consensum, sed expectare præceptum Pontificis, quod sub peccato obliget. Quod in alijs religionibus non postulatur, sed sufficit quod solus Pontifex consentiat, seu facultatem præbeat, argumento c. cum venerabilis, de consuetudine, & c. si Abbatem de electione in 6.

XIX.

Ex tenditur
d'ia consti-
tutio ad non
professos.

Rursus considero constitutionem illam, non de solis professis, aut coadiutoribus spiritualibus loqui, sed in vniuersum de religiosis Societatis: nam simpliciter dicit, Nullus possit, &c. comprehendit ergo omnes, qui sub obedientia Generalis militant. Vnde si contingeret (quod difficile non est) per amorem, vel fauorem alicuius Principis, scholarem approbatum in Episcopum eligi, seu nominari: etiam ille non potest, ex vi huius constitutionis, acceptare Episcopatum sine licentia Præpositi Generalis. Hæc autem obligatio ex vi huius constitutionis, non est ad peccatum, quia omnibus constitutionibus generale hoc est, & nihil speciale de hoc est declaratum: vnde cum scholares de hac re nullum votum emittant, videntur ad hoc non obligari sub peccato, sed tantum sub regula perfectionis. Nihilominus tamen ex adminiculo iuris communis, existimo hanc esse grauem obligationem. Cum enim hi scholares sint veri religiosi, & quoad obligationem obedientiæ, tam non habeant velle, aut nolle, quam quilibet alij, comprehenduntur sine dubio sub generali lege capituli, si religiosus, de Elect. in 6. quo declaratum est, in religioso graue præsumptionem esse, acceptare electionem de se factam, sine consensu Prælati sui. In Societate autem per hanc constitutionem declaratum est Generalem esse vnicum Prælatum, ad quem hoc pertineat. Ergo in Societate acceptare dignitatem sine licentia Generalis, est acceptare sine licentia Prælati. Nam licet fingamus Prouincialem, aut Rectorem consentire, nihil facient; neque in ea re sunt Prælati; ergo est illa grauis transgressio, non quidem ex vi solius constitutionis, sed illa supposita, ex vi iuris communis.

Ex admini-
culo iuris
inducitur
is grauis
obligatio.

XX.

Talis obli-
gationis
violatio gra-
uissimè acce-
ptationem.

Et eadem ratione censio, acceptationem, vel electionem aliter factam esse irritam ex vi prædicti capituli, quod eodem modo induci potest. Et ad idem ponderari potest verbum illud nostræ Constitutionis, nullus possit, quod de se sufficit ad irritandum, vt vulgare est apud Doctores, & idem cum proportionem est de Generali, quia respectu illius Societas est Prælatus eius, & ideo de illo etiam dicitur in Constitutione, Non debet, nec potest. Præter hæc verò additur in professis omnibus obligatio voti, ratione cuius non possunt ipsi consentire, nisi præcipiantur ab habente potestatem, etiam si Generalis facultatem daret. Obseruo enim, constitutionem hanc, quæ prohibet Generali ne hanc facultatem præbeat, nisi coactus obedientia Pontificis non obligare Generalem ipsum

Nec nisi de
prima ac-
ceptione
dignitatis.

ipsum tanquam proprium præceptum, sed per modum simplicis regulæ; neque hanc obligationem, seu constitutionem esse speciali voto confirmatam: & idem est de Societate, respectu Generalis. Posset ergo contingere, ut Generalis, aut Societas indebitè utendo potestate sua, vel ex aliqua Epicheia, talem facultatem daret, sine præcepto Pontificis: illa ergo non obstante, obligabitur professus ad non acceptandam dignitatem (quanquam si acceptaret valeret electio) donec præcipiatur: quæ obligatio in scholari approbato non inuenitur, quia nascitur ex voto speciali, quod scholares non emittunt.

CAPVT X.

De voto manifestandi procurantes dignitatem, quod inter alia a premissis Societatis emittitur.

I.
Videri vult
hoc proce-
dere solum
de dignita-
tibus intra
Societ.

VT ambitio dignitatum, & Prælationum, tam intra Societatem, quam extra illam, nullum in eadem, quoad fieri posset, locum haberent, non fuit contentus B. Ignatius professos speciali voto obligare ad eas non procurandas, sed etiam addidit votum, quo promitterent manifestare hoc Societati, quemcumque in hoc peccare intelligerent. Verba constitutionum p. 10. §. 6. hæc sunt. Omnes professi se nihil unquam ad eam (id est, dignitatem obtinendam) acturos, & quos agere animaduertimus delaturos Deo, ac Domino nostro voueant. Circa quem locum aduertendum occurrit, ex vi illius, solum videri præcipi, ut hoc votum fiat de dignitatibus, & prælationibus Societatis. Nam verba proximè præcedentia sic habent. Erunt summi momenti, ut perpetuo felix Societatis status conseruetur, diligentissime ambitionem subinuenere, ac aditum ad dignitatem, vel prælationem vllam directè vel indirectè, querendam in Societate præcludere, & proximè subduntur verba illa citata, omnes professi, &c. Ex quo contextu planè constat, illud relatum ad eam obtinendam, referre solum dignitatē, & prælationem in Societate. Item, quia de alijs extra Societatem, statim subditur, Promittant etiam ad nullam extra Societatem prælationem, vel dignitatem se quicquam acturos. De deferendis autem præfentibus harum dignitatum, nihil subiungitur. Nec dici potest, hæc posteriora verba intelligenda esse iuxta priora, quia hoc nullum habet in contextu fundamentum, & materiæ sunt omnino diuerse, sicut è conuerso in posteriori clausula additur promissio non acceptandi dignitatem extra Societatem nisi præcepto cogantur, quod, quia in priori additum non fuit, ad dignitates intra Societatem non extenditur, ut supra cap. 8. n. 2. vidimus, ergo similiter, &c.

II.
Opp. si sum
resoluitur.

Nihilominus praxis Societatis habet ut de vtrisque dignitatibus hoc votum fiat. Nam post duo vota non procurandi prælationem, aut dignitatem intra, vel extra Societatem additur, Tum si quem sciam aliquid prædictorum duorum curare, vel pretendere, promitto illum remque totam me manifestaturum Societati, vel Præposito eius. Vnde non est dubium, quin hoc votum obliget in vtroque genere dignitatum, siue illud fiat ex vi prædictæ constitutionis: siue (quod mihi propter argumentum num. præcedenti factum probabile est) illa fuerit extensio quædam à tertia generali congregatione facta, cuius auctoritate decreto 46. forma vouendi à prima congregatione iam præscripta decreto 102. ita extensa est, nam ad hoc potestatem habet congregatio generalis, & fortasse cum illi 3. congregationi interfuerint, multi ex Patribus, qui & intentionem B. P. Ignatii, & vsum Societatis à principio cognouerunt, hanc eius fuisse mentem declararunt, licet illis verbis constitutionis satis explicata non fuerit.

Hoc igitur voto supposito, tria sicut in præcedenti, p. 10. cap. circa illud declaranda occurrunt, vtilitas, materia, & obligatio.

De vtilitate huius voti.

Circa vtilitatem ratio dubitandi esse potest, quia vel hoc intelligitur de deterendo crimine alterius, vel quando ad commune bonum Societatis est necessarium, & potest cum fructu fieri, vel absolute, & sine limitatione, ut verba sonant. Priori modo votum est parum vtile, quia tunc ipsa ratio charitatis obligat, & sufficit inter viros religiosos, neque oportet laqueos addere, posteriori autem modo, votum esset iniquum, quia sine necessitate, & fructu boni communis non est proximus infamandus. Nihilominus dicendum est, votum hoc, & sanctum & vtile esse Societati. Quod auctoritate sufficienter probatur ex approbatione summorum Pontificum, vel generali, ut à Paulo III. & Julio III. confirmantibus institutum, & approbantibus constitutiones, vel speciali, ut à Gregorio XIII. in constitutione, Ascendente Domino, ex qua etiam colligitur, hoc votum cadere in vtrasque dignitates, nam post vota non præcedendi dignitatem intra, aut extra Societatem subditur, Item Societati, vel eius Præposito manifestaturos, si quem sciant aliquid huiusmodi molari.

Ratio autem quoad honestatem huius voti clara est, quia deferre ad superiorem peccatum subditum, maxime quando vergit in commune detrimentum, per se, & ex obiecto bonum est dummodo debito line, & circumstantijs vestitur. Sic Christus dixit Matth. 18. Dic Ecclesiæ, votum autem hoc, quantum simpliciter, & absolute fiat, intelligendum est de reuelatione iusta, & charitati consentanea, ut in simili dixit Syluest. ver. b. Denuntiatio. quæst. 5. quod explicare non fuit necesse, quia, & ex materia, & ex ratione voti erat satis manifestum, nam certum est hoc genus delicti multum posse nocere Societati. Certum etiam est hoc nocumentum maius futurum, si tale delictum à scientibus occultetur: nam & timor poenarum, & prouidentia superiorum multum iuuare potest, ut illud non serpat, neque effectum habeat. Est ergo per se bonum, ac moraliter necessarium ad commune bonum Societatis ut superioribus manifestetur: ergo hoc etiam vouere honestum est.

Quod verò etiam vtile sit, declaratur, tum quia licet charitas possit per se ad hoc obligare, tamen peculiaris obligatio religionis ex voto, & est magis clara, & expressa, & multum solet mouere conscientiam religiosorum etiam, quia hoc votum non tantum obligat, supposita alia obligatione charitatis, sed absolute, quoties id potest honestè fieri, etiam si alias non esset præceptum. Sape enim accidere potest, ut reuelare peccatum fratris superiori, possit honestè fieri, non tamen sit sub præcepto, quia præcepta affirmatiua non obligant pro semper, etiam supposita honestate actus, nisi intercedat sufficiens necessitas: hæc enim separabilis est ab honestate, etiam in præfenti materia. Nam ad honestatem sufficit aliqua vtilitas, quæ tamen non semper satis est ad præcepti obligationem, si ergo quis obligetur ex voto ad subueniendum hoc remedio Societati, non solum quando necessitas charitatis cogit, sed etiam quando vtilitas maioris boni suadet, & honestat actum, in magnam profectò vtilitatem religionis cedet tale votum. Ita ergo est in præfenti voto, ut amplius ex illius declaratione constabit.

De materia eiusdem voti.

Circa materiam erga huius voti distinguere potest remota, & proxima. Remota est peccatum ambitionis